

*Obs.* Fere omnes species varietatem foliis magis incisus aut dissectis agnoscunt. e. g. *L. salinus* Poll. *L. Taraxacum* L. sic quoque *L. taraxacoides* Hoppe est varietas dissecta mei *L. arcuati*

6. *Lactuca virgata*: caule erecto virgato, floribus lateralibus subspicatis, foliis caulinis hastato-amplexicaulibus oblongis runcinato-pinnatifidis denticulatis, carina subtus spinulosis.

Habita — In herbario Schmidiano nomine *L. intybaceae*? obvenit.

Caulis virgatus, et flores laterales subspicati *L. salignae*, folia fere *L. scariolae*, sed profundius dissecta, laciniis lineari-lanceolatis valde recurvatis praecipue antrorsum dentatis. *L. salignam* quidem etiam foliis inferioribus runcinatis variare satis notum est, sed folia ejus angustiora elongata, eorumque lobi laterales sunt integerrimi.

7. *Hypochoeris corsica*: scapo squamoso 1-floro glabro, foliis radicalibus runcinato-pinnatifidis, laciniis linearibus divaricatis hirtis glabrisve, anthodio canescente parce setoso, pappo omni stipitato.

Habitat in montibus Corsicae. 24

Radix pereonis cylindrica crassa sublignosa multiceps. Folia radicalia conferta lanceolata profunde pinnatifida, laciniis linearibus subintegris mucronulatis arcuato-reflexis, aut divaricatis, subundulatis, pilis sparsis hirtis aut subglaberrimis. Scapi plures digitales aut paulo longiores, primo diffusi, demum erecti gracillimi, squamis linearibus sparsis remotis,

quorum inferiores elongati sunt, obsiti, glaberrimi. Anthodium imbricatum, squamis linearibus, margine pilis albis canescentibus, medio nigricantibus et setulis sparsis arrectis albidis obsiti. Anthodium fructus minus canescens magis glabratum. Receptaculum paleis linearibus acutis. Flosculi lutei 5-dentati. Pappus omnis stipitatus plumosus fuscescens. Semina cylindrica striata subtilissime tuberculata fusca.

*Obs.* *Hypochoeris* in genere in duas sectiones dividenda, quarum una *Hypochoeris genuina* pappo omni stipitato, ut in *H. helvetica*, *maculata*, *radicata*, altera *Achyrophorus* pappo radii sessili, disci stipitato, uti in *H. glabra* et *minima* differt.

8. *Lepidopogon Ponaë*. *Syngenesia Polygamia superflua* Linn. *Compositae Corymbiferae* (*Conyzae* s. *Gnaphaliaceae*) Juss. *Char. gen.* Anthodium imbricatum. Receptaculum paleaceum. Flosculi marginales tenuissimi ♀ centrales tubulosi 5-fidi ♂ Pappus pilosus scaber sessilis. Herba foliis radicalibus aggregatis scapum subnudum aequantibus, floribus in capitulum congestis. Genus *Conyzae* proximum, a qua vix nisi receptaculo paleaceo differt.

*Lepidopogon Ponaë*.

Habitat . . . In herbario Sieberiano nomine *Conyzae Ponaë* exstat. 4

Herba demptis floribus *Ramondae pyrenaicae* non absimilis. Folia radicalia oblonga obtusa integerrima crassa rugosa in petiolum brevem attenuata, subtus et basi albo lanata, supra demum hirta scabra.